



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Cap. I. De correlatiuo causæ in communi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

causa dici assolet. Non me præterit, recentiores nonnullos in ea esse sententia, vt putent, has solas condiciones ad effectum remotè requisitas dici debere strictas condiciones: contra verò eas, quæ ad operandum proximè requiruntur strictè causas efficientes esse, non condiciones. Ceterum hoc eorum placitum paradoxum est, nec fundamenta, quibus nituntur eius inuētores, aliud quàm meam sententiam probant, aut possunt.



TRACTATVS II.

De relatione causæ in communi.

CAPVT PRIMVM.

De correlatiuo causæ in communi.

1.

RELATIO causæ in communi commode percipi nequit, quin, quid sit eius correlatiuum explicetur: effectum autem causæ correlatiuum esse aded exploratum est, vt non tam dici, quàm non omitti debeat. Porro effectus, vt communiter usurpari solet, duo concernit, nimirum existentiam effectus, & eius absolutam non repugnantiam, seu possibilitatem: quarum altera, & altera causæ correlatiua est: existentia quidem, quia correlatiuum causæ est id, quod causa in lucem producere potest: at solam existentiam, & non meram possibilitatem effectus producere potest: possibilitas etiam, quia correlatiuum causæ est id, cum quo causa essentialiter connectitur, connexio enim vnius cum alio est relatio vnius ad aliud cum vi illius vnū in alio cognosci possit, quod relationis proprium est, iuxta illud Aristotelis: *Relatiua sunt simul cognitione*: At causa quatenus talis essentialiter connectitur cum non repugnantia, seu possibilitate effectus, eo quod chimæra, & impossibilitatis nulla causa absolute esse possit.

2.

Verum illud in presenti non modicam difficultatem ingerit: an scilicet possibilitas, ac non repugnantia effectuum, aut nondum existentium, aut nūquam extitutorum sit denominatio extrinseca, quæ iis à causa præsertim prima, & increata, nimirum ab omnipotentia Dei accedat; vel potius ea non repugnantia, & possibilitas, quæ creaturæ ab æterno possibile sunt, ab omnipotentia Dei, & quauis causa prorsus distincta sit? Henricus in summa quæst. 23. & 25. Capreolus in 2. quæst. 2. art. 3. P. Vasquez 1. part. tom. 1. disp. 104. cap. 5. & alij, quos ibi laudat, possibilitatem effectuum, antea quàm existant, ab eorum causis distinguunt: quibus ipse libenter subscribo. Primò: quia si sola omnipotentia diuina esset possibilitas creaturarum, quæ à Deo produci possunt, patet ratione solus intellectus diuinus foret veritas, & cognoscibilitas creaturarum, quæ à Deo cognosci possunt. Consequens est absurdum: ergo, &c. Sequela perspicua est: quia sicut omnipotentia Dei est virtus producendi res creatas, intellectus Dei est virtus cognoscendi res creatas: igitur sicut omnipotentia Dei ita est virtus producendi res creatas, vt à sola omnipotentia habeant, quod producibiles sint, ita intellectus diuinus ita erit virtus cognoscendi res creatas, vt à solo eo ha-

beant, quod veræ, & cognoscibiles sint: consequens autem absurdum esse suaderetur: quia si solus intellectus diuinus esset veritas obiectiua creaturarum, quæ à Deo cognosci possunt, hæc foret infinita simpliciter: haud secus ac intellectus in quo consistit simpliciter, infinitus est: at veritas creaturarum infinita esse nequit: aliàs omnis creatura ab intellectu creato incomprehensibilis foret: idcirco enim Deus sub intellectu creato comprehensionem cadere nequit, quia eius veritas infinita, & illimitata est.

Dices: veritatem creaturæ intrinsecam esse, idque sufficere, vt ab intellectu creato comprehendere valeat, esto veritas ei intrinseca simpliciter infinita sit: contra tamen, quia creatura antequam existat, solam habet veritatem extrinsecam: at hæc est infinita: igitur antea quàm existat, ab intellectu creato incomprehensibilis est: nec enim comprehendere valet ratione veritatis infinitæ sibi extrinsecæ, cuius infinitas potius ad incomprehensibilitatem confert: nec ratione veritatis finitæ sibi intrinsecæ: quia creatura mere possibilis caret veritate finitâ sibi intrinseca, vtpote quæ cum existentia, quæ caret, prorsus reciproca est: at creatura incomprehensibilitatem non vendicat à veritate, quàm non habet, nec vnquam habitura est. Dices secundò: veritatem cuiuscumque creaturæ in recto dicere entitatem creatam, & in obliquo intellectum creatoris, à quo cognosci possit: & cum entitas creata, quæ præcipue, & in recto importatur, finita sit, necessum esse, vt veritas creatoris mere possibilis finita, & comprehensibilis sit. Verum creaturæ merè possibile absolute veræ, & cognoscibiles ab æterno sunt: sicut iuxta aduersarios, ab æterno possibile sunt: at in opposita sententia nihil absolute ab æterno est, circumscripta Deo, & prædicatis, quæ ei essentialia sunt: igitur veritas creaturarum merè possibile in solo intellectu Dei consistere potest, ac proinde est infinita, & ea, quæ creaturam, vt veram, sic incomprehensibilem efficiat.

Secunda ratio, & confirmatio prioris sit: si sola omnipotentia Dei esset possibilitas creaturarum possibile, quæ à Deo produci possunt, sane & sola voluntas Dei esset bonitas creaturarum possibile, quæ à Deo amari possunt: consequens autem absurdum est: tum quia inde fieret, bonitatem creaturarum, aut nondum existentium, aut nunquam extitutarum esse simpliciter infinitam: ac proinde ratione illius rem creatam non posse non amari, à quocumque clarè cognoscatur: haud aliter ac Deus clare visus ad sui amorem rapit, atque necessitat: & quidem sicut ea bonitas tribuit creaturæ, vt amari possit, esto ei extrinseca sit; non est, cur ei tribuere nequeat necessitatem amoris, siue vt non amari nequeat: quod enim substantiam præstat, à fortiori modum præstare potest. Tum quia, si creatura merè possibilis foret transcendentaliter bona per denominationem extrinsecam à voluntate Dei: similiter posset quis esse bonus moraliter, & iustus per denominationem extrinsecam à iustitia Dei, aut Christi nobis imputata, vt nostri temporis sectariis placet: at oppositum Concilio Tridentino sess. 6. can. 7. definitum est. Demum, quia si diuina voluntas esset bonitas creaturarum possibile, quas amare potest, similiter esset malitia peccatorum merè possibile, quæ odisse potest, & quorum odium à nobis postulat: at horum malitia

litia esse nequit, quia voluntas creata peccati etiam possibilis, & nunquam exituri malitiam odisse tenetur, cum tamen creatoris voluntatem odio prosequi minime teneatur.

Tertio: quia si possibilitas creaturae, quā à Deo produci potest, & potentia creatoris, quā creare, & producere potens est, sunt relationes omnino indistinctae: inde quidem fiet, omnipotentiam Dei semetipsam posse producere, & creaturam à semetipsa posse produci, ut nobis argumentari moris est. Quarto: quia si possibilitas creaturae, quae nec absolute, nec sub conditione futura est, in omnipotentia Dei eius creaturae productiva consistit: pari ratione futuritio conditionata creaturae, quae absolute futura non est, in aliquo etiam praedicto Dei collocanda est, id quod plures aduersarii fatentur: Consequens autem falsum est, quia futuritio conditionata consistere nequit in decreto Dei conditionato, quo statuit, ut in hac rerum peristasi aliquid determinate eueniat: alias nostra libertas corrueret, Deusque author peccati esset: nec etiam ea futuritio conditionata in mediā Dei scientia consistere potest, quia ideo per eam Deus cognoscit euentus conditionate futuros, quia futuri sunt, & non e conuerso, ut Patribus solenne est: at ea causalis falsa esset, si scientia Dei res conditionate futuras denominaret; ideo enim res futurae sunt, quia datur forma, quae futurae denominentur; ea autem forma, iuxta aduersarios, scientia Dei est. Deinde scientia media, seu conditionata alioqui esset formaliter libera, cum eius existentiam nihil nisi intellectus Dei ad eam vel oppositam omnino indifferens praecederet: si quid enim posset illam ut existentem praecedere, maxime euentus ut conditionate futurus: huiusmodi autem futuritio conditionata & obiectiua, iuxta aduersarios, non distinguitur à scientia per quam cognoscitur: quomodo ergo potest illam anteuertere? Consequens autem est aperte falsum: solius enim voluntatis actus possunt esse formaliter liberi: at scientia media diuini intellectus, non voluntatis actus est, nequit ergo libertate immediata & formali gaudere.

6. Communis etiam ratio mihi non displicet, quam in hunc modum propono: chimæra ab æterno repugnat repugnantia sibi intrinseca, & essentiali, quæque à quouis praedicto diuino distinguitur: ergo similiter creatura possibilis est ab æterno possibilitate sibi intrinseca, & essentiali, quæque ab omnipotentia Dei distincta sit. Negant nonnulli consequentiam, eo quod ex possibilitate rebus extrinsecā, & necessariā, ac æternā sequatur distinctio essentialis ab existentia, existentia aliqua æterna, quid creatum, & finitum à se, & alia id genus repugnantia, quæ inferius subiiciuntur: at ex repugnantia chimæra à Deo distincta, & adhuc æterna, ac necessaria eiusmodi inconuenientia minime sequuntur: videlicet quia repugnantia chimæra est mera negatio possibilitatis; negationem autem, aut carentiam æternam esse non inconuenit, ut comperitum est. Hæc solutio manifestè refellitur, quia homo equus, siue identitas homini, & equi per se ipsam repugnat, & impossibilis est: at ea identitas praedicatum posituum, esto chimæricum est: ergo repugnantia chimæra positua, aut quasi positua est, quamuis nominibus negationem exprimentibus significetur. Confirmatur, & decla-

ratur: sicut possibilitati entis opponitur repugnantia chimæra, ita veritati opponitur falsitas: at falsitas tam positua, quam veritas est, esto per negationem explicetur: ergo repugnantia Chimæra tam positua est, quam possibilitas entis: minor suadetur de veritate, & falsitate transcendentali: quia aurichalcum, seu falsum aurum non minus posituum est, quam verum aurum, cuius figuram, & speciem exhibet: de veritate, & falsitate formali eadem minor non minus certa est: quia actus falsus duo concernit, nimirum representationem obiecti, quæ haud dubie positua est, & obiectum non ita se habere, sicut representatur, quod etiam sæpenumero posituum quid est, ut si actus affirmet, obiectum non existere, ubi sola existentia positua obiecti efficit, ut non se habeat obiectum, sicut per actum representatur.

Confirmatur iterum: quia ut possibilitas opponitur repugnantia, & impossibilitati chimæra, & non entis, ita bonitas malitiæ: at malitia saltem Physica, quidquid sit de morali, non minus positua, quam bonitas est: ergo, &c. Minor suadetur: nam calor per suam entitatem posituam aquæ malus, & disconueniens est, sicut eidem frigiditas per se ipsam bona, & consentanea est: igitur bonitas, & malitia Physica ex æquo posituae sunt. Quod si malitia aliqua Physica in negatione consistat, qualis est ea, quæ res non existit absolute, certe & bonitas aliqua in negatione sita est, qualis est ea, quæ malum quoddam posituum non existit; quæ non minus expetibilis est, quam absoluta malitia odibilis est. Perperam ergo recentiores hi inter possibilitatem, & repugnantiam distinguunt, ut illam in posituum, & hanc eius negationem statuunt, cum non minus una, quam altera positua esse debeat, ut ex earum attributis, aut quasi attributis, veritate, & falsitate, & malitia liquet.

Alij respondent, negato antecedenti, & aiunt diuinam omnipotentiam esse repugnantiam chimæra, & ab æterno nihil esse à praedicatis quidditatis Dei distinctum, per quod chimæra repugnet: contra tamen, quia Deus, quantum ex se est, potens est producere chimæram, si ipsa non repugnet: ergo non est essentialiter, siue de se impotens: aut si mauis, non potens eam producere: igitur eam repugnantem non denominat; ut enim ei repugnantiam in genere causæ quasi formalis tribuat, de se absolute non potens eam producere, esse debet: haud secus ac, iuxta aduersarios, ut omnipotentia Dei creaturis possibilitatem tribuat, eas producere absolute potens, de se, siue essentialiter esse debet. Consequentia omnes perspicuae sunt. Antecedens suaderetur: quia eius oppositum ab infinitate, & perfectione diuinæ virtutis magnoperè abhorret.

CAPVT II.

Dissoluuntur argumenta quadam contra Doctrinam capituli precedentis.

Non pauci Recentiores nobis refragantur. Primo: quia si possibilitas creaturarum non consisteret in omnipotentia Dei, sed esset praedicatum aliquod ab eā distinctum, sanè & essentia ab existentia distingueretur: at hæc distinctio admitti